

VERSION LATINE 1

APULÉE, *Les Métamorphoses ou l'Âne d'or*, VI, 18, 2 – 19, 6

**Conseils avisés d'une tour(-opératrice)
en vue d'un petit tour du côté des Enfers**

Pauvre Psyché ! Victime de la jalousie de Vénus, la mère du dieu Cupidon, dont elle est éprise, la jeune femme se voit contrainte de réaliser des tâches toutes plus ardues les unes que les autres. La dernière met le comble à ses malheurs : elle doit se rendre aux Enfers pour recueillir un peu de la beauté de Proserpine dans une petite boîte... Psyché songe alors au suicide. Mais au moment où elle s'apprête à se jeter du haut d'une tour, celle-ci se met à parler et lui révèle la manière d'accomplir sa mission sans y laisser la vie. Elle lui conseille tout d'abord de se rendre au cap Ténare, près de Lacédémone, où se trouve l'une des entrées du monde souterrain.

« [18] (2) Inibi spiraculum Ditis et per portas hiantes monstratur iter inuium, cui te limine transmeato simul commiseris iam canale directo perges ad ipsam Orci regiam. (3) Sed non hactenus uacua debebis per illas tenebras incedere, sed offas polentae mulso concretas ambabus gestare manibus at in ipso ore duas ferre stipes. (4) Iamque confecta bona parte mortiferae uiae continaberis claudum asinum lignorum gerulum cum agasone simili, qui te rogabit decidentis sarcinae fusticulos aliquos porrigas ei, sed tu nulla uoce deprompta tacita praeterito. (5) Nec mora cum ad flumen mortuum uenies, cui praefectus Charon protenus expetens portorium sic ad ripam ulteriorem sutili cumba deducit commeantes. (6) Ergo et inter mortuos auaritia uiuit nec Charon ille Ditis exactor tantus deus quicquam gratuito facit : set moriens pauper uaticum debet quaerere, et aes si forte prae manu non fuerit, nemo eum exspirare patietur. (7) Huic squalido seni dabis nauli nomine de stipibus quas feres alteram, sic tamen ut ipse sua manu de tuo sumat ore. (8) Nec setius tibi pigrum fluentum transmeanti quidam supernatans senex mortuus putris adtollens manus orabit ut eum intra nauigium trahas, nec tu tamen inlicita adflectare pietate. [19] (1) Transito fluuio modicum te progressam textrices orabunt anus telam struentes manus paulisper accommodes, nec id tamen tibi contingere fas est. Nam haec omnia tibi et multa alia de Veneris insidiis orientur, ut uel unam de manibus omittas offulam. (2) Nec putes futile istud polentacium damnum leue ; altera enim perdita lux haec tibi prorsus denegabitur. (3) Canis namque praegrandis teriugo et satis amplo capite praeditus immanis et formidabilis tonantibus oblatrans faucibus mortuos, quibus iam nil mali potest facere, frustra territando ante ipsum limen et atra atria Proserpinae semper excubans seruat uacuam Ditis domum. /// (4) Hunc offrenatum unius offulae praeda facile praeteribis ad ipsamque protinus Proserpinam introibis, quae te comiter excipiet ac benigne, ut et molliter assidere et prandium opipare suadeat sumere. (5) Sed tu et humi reside et panem sordidum petitum esto, deinde nuntiatio quid adueneris susceptoque quod offeretur rursus remeans (6) canis saeuitiam offula reliqua redime ac deinde auaro nauitae data quam reseruaueris stipe transitoque eius fluuio recalcans priora uestigia ad istum caelestium siderum redies chorum. »

Si vous ne comptez pas vous présenter à l'agrégation de Lettres classiques ou de Grammaire, vous pouvez vous arrêter à *Ditis domum* (mais vous pouvez bien sûr faire la version en entier si vous le souhaitez).